

sortiendi forum. — Quæritur III. An dentur alii modi extraordinarii sortiendi forum, et quales? Resp. Dari complures. Sic enim ulterius sortitur quis forum ratione appellationis, can. *Peregrina*, 3, q. 6, junctis illis, quæ notantur tit. *De Appellationibus*. Item ratione conventionis, can. *Cujus in agendo*, 3, q. 8, atque amplius declamabitur infra tit. IV. *De mutuis petitionibus*. Item ratione recusationis, seu quando iudex suus ex justa causa recusatur, c. *Si quis contra*, h. t. Item ratione consuetudinis: nam consuetudo dat jurisdictionem, can. *Conquestus*, 9, q. 3 et c. *Cum contingat*, juncta Glossa fin. h. t. Item ratione militiæ: sic enim milites delinquentes puniuntur a duce, sub quo militant, l. *De militibus*, ff. de *Custod. et exhibit. reor.* Item ratione negligentiae iudicis sæcularis: nam hæc potest suppleri per iudicem ecclesiasticum, sicut forum hujus acquiri, c. *Licet eas suscepto*, 10 et c. *Ex tenore*, 11, h. t. estque uberius jam declaratum in l. I, tit. X. *de Supplenda negligentia prelatorum*, § 3, n. 44 et seqq. Atque, ut plures alii tales modi taceantur, de quibus fuse agit Speculator tit. *de Competentis iudicis aditione*, § 4, per totum.

184. *Scholares ex privilegio sortiuntur forum coram suo rectore; et cun?* — Tandem sortitur quis forum ratione privilegii. Sic enim studiosi coram suo rectore forum sortiuntur, Auth. *Habita*. C. *Ne filius pro patre*, etc. Adeo quidem, ut etiamsi alibi deliquerint, aut debitum contraxerint, quamdiu studiorum causa alicubi reperiantur, neutiquam ad locum delicti vel debiti sint remittendi; ne hac occasione a studiis avocentur atque impediuntur: sed, si lite in eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, coram eorum rectore conveniri, quin etiam capti in loco delicti ad magistratum academicum remitti debeant; prout amplius tum in cit. Auth. *Habita*, tum in propriis singularum universitatum privilegiis continetur. Atque hujusmodi speciale privilegium, et protectio, meritissime scholaribus concessum fuit, utpote « quorum (inquit ibidem imperator) scientia totus illuminatur mundus, et ad obediendum Deo, et nobis ejus ministris vita subjectorum informatur. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, et a vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt? » Hactenus nova constitutio Friderici imperatoris,

quæ refertur in cit. Auth. *Habita*. C. *Ne filius pro patre*, etc.

185. *Item clerici coram iudice ecclesiastico.* — Huc accedit speciale privilegium clericorum, vi cujus non nisi coram iudice ecclesiastico conveniri valent. Sed quia circa hoc plura, simulque notabilissima, atque uberiores declarationem requirentia dubia occurrunt, merito de ipso in specialibus paragraphis agendum videtur: unde sit

§ IX.

DE PRIVILEGIO FORI CLERICORUM; ET QUO JURE PROVENIAT?

186. *Privilegium fori, quid?* — Quæritur I. An clericis competat privilegium fori, et qui nomine clericorum hic veniant? Ubi per *Privilegium fori* intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate et jurisdictione fori sæcularis; adeo, ut non possit amplius a iudice sæculari in iudicium trahi, carcerari vel puniri, sed dumtaxat ab ecclesiastico. Quo prænotato

187. *Eo gaudent clerici.* — Resp. I. Certum est, atque inter catholicos indubitatum, quod clerici gaudeant privilegio fori, seu exemptionis a jurisdictione et potestate fori civilis; adeo, ut ipsi ad iudicium fori sæcularis trahi non possint. Et quidem neque in causis criminalibus, can. *Nullus iudicium*, et can. *Relatum*, 11, q. 1, et c. *At si clerici*, 4, de *Judiciis*, cum concordantiis. Neque in causis civilibus, can. *Bene quidem*, dist. 96, et can. *In Canonibus*, 16, q. 1, et c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, 10, de *Constitut.* et c. *Qualiter et quando*, 17, de *Judiciis*, et c. *Si diligenti*, 12, de *Foro competent.*, et Auth. *Statuimus*. C. *de Episc. et cleric.* cum similibus; atque amplius ex dicendis in progressu patebit.

188. *Clericorum nomine, qui hic comprehendantur?* — Resp. II. *Clericorum* appellatione in præsentî materia veniunt omnes omnino clerici, sive sint primæ dumtaxat tonsuræ, aut in ordinibus minoribus constituti, can. *Cleros*, dist. 24 et c. *Cum contingat. de Ætate et qualit. præfic.*, dummodo habeant conditiones de jure requisitas, cap. ult. *de Cleric. conjugat.* in 6, et concilio Trident., sess. 23, cap. vi, *de Reform.* Sive sint constituti in ordinibus majoribus, cit. can. *Cleros*, dist. 24. Aut etiam in dignitate ecclesiastica, c. *Cum tibi*, 18, juncta Glossa fin. *de Verb. signif.*

189. *Et qui, si materia sit odiosa?* — Licet

§ IX. DE PRIVILEGIO FORI CLERICORUM; ET QUO JURE PROVENIAT? 235

enim in materia odiosa, vel ubi tractatur de pœna clericis inferenda, seu de eorundem damno ac incommodo, appellatione *Clericorum* tantum veniant simplices clerici; non autem illi, qui in dignitate ecclesiastica constituti sunt, nisi horum fiat specialis mentio; c. *Sedes*, 15, de *Rescript.*, et c. *Statutum*, 22, de *Elect.* in 6, et c. *Quia periculosum*, 4, de *Sentent. excomm.* in 6. Secus iamen est in materia favorabili, qualis est hæc agens de privilegio fori clericorum: istud enim merito est extendendum, c. *Odia*, 15, de *Reg. jur.* in 6, cum similibus.

190. *Etiam monachi, regulares, moniales, ac novitii gaudent privilegio fori.* — Resp. III. Insuper nomine *clericorum* impræsentiarum veniunt monachi, aliique regulares religionum ab Ecclesia approbatarum, tam professi, quam novitii, imo et moniales, harumque conversæ et novitiæ; ac proin omnes hæ personæ gaudent privilegio fori. Ita Felinus in c. *Licet* n. 8, de *Offic. ordinar.* Barbosa lib. I, *Jur. eccles. univ.*, cap. xxxix, § 2, n. 40, citans alios, estque communis. Nam omnes tales sunt personæ ecclesiasticæ, ac Dei servitio, divinisque ministeriis specialiter deputatæ; atque ideo in materia favorabili (qualis hæc est) veniunt appellatione clericorum; ut can. *Quisquis inventus*, et can. *Si quis suadente*, 17, q. 4.

191. *Novitius grave crimen committens, coram iudice ecclesiastico conveniendus est.* — Atque ex his inferitur, quod si novitius grave crimen committat (non solum istud intelligendo de crimine contra religiosam atque ecclesiasticam disciplinam commisso; sed etiam loquendo de crimine atroci, et cui capitalis pœna cæteroquin debetur, ut est homicidium, etc.) is coram iudice ecclesiastico, seu prælato religionis sit conveniendus, non autem coram iudice sæculari: quia jam gaudent privilegio fori, estque favore religionis a civili potestate exemptus; Emmanuel Rodericus, tom. II. *Quæst. regul.*, q. 2, art. 10; Ascanius Tamburinus, tom. III, *de Jure abbatum*, disp. 6, quæst. 28, n. 3; Laurentus de Franchis, part. II, quæst. 46, n. 1, et alii passim.

192. *Etiam si dimisso habitu redeat in sæculum: quamvis nonnulli contradicant.* — Quinimo multi doctores hoc ampliant, atque intelligunt etiam in eo casu, quo novitius tempore novitiatus graviter delinquens, postmodum dimisso habitu redit ad sæculum: adhuc enim (inquiunt) talis propter delictum in no-

vitiatu commissum non per iudicem sæcularem, sed per ecclesiasticum dumtaxat erit puniendus: nam quoad pœnas imponendas inspicitur tempus commissi delicti, l. I, ff. *de Pœnis*. Layman lib. IV, *Theolog. moral.* tract. IX, cap. iv, n. 14, et cap. vii, n. 5, ubi hoc ipsum docet de clerico minorista, qui privilegio fori gaudens committit delictum, et postmodum ducta uxore illud privilegium amittit; nam adhuc (inquit) de crimine illo ab ecclesiastico, et non a sæculari iudice, judicandus est. Barbosa cit. n. 40; Diana part. III, tract. I, resolut. 34. Ascan.; Tamburinus cit. quæst. 28, n. 6; pluresque alii ab his relati; quamvis non pauci etiam oppositum teneant, ut Molina tom. IV, *de Justit.* tract. III, disp. 49, n. 24; et Farinacius lib. I, tit. *de Inquisitione*, quæst. 8, n. 46, ampliatis 16, et alii apud Farinacium, et Dianam, ubi supra, relati. (ADNOTATIO XXXIII.)

193. *Quo jure privilegium fori competat clericis, variant doctores.* — Quæritur II. Quo jure competat clericis privilegium fori? Resp. Celebris est hæc controversia, atque in ejusdem resolutione plurimum variant doctores, qui generatim in duas extremas abeunt sententias: quarum una docet, exemptionem clericorum a potestate sæculari, esse de jure naturali ac divino; altera vero sententia priori contraria censet, dictam clericorum exemptionem non esse de jure divino obligantem, sed solum de jure humano, ac per privilegia in corpore utriusque juris clausa, seu per diversas constitutiones, tum imperiales, tum canonicas clericis concessam; quamvis legi naturali ac divinæ, in judicialibus veteris legis adumbratæ, sit valde conformis. Juvabit proin utriusque sententiæ rationes præcipuas considerare.

194. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Et quidem posterior sententia, volens exemptionem clericorum a potestate laicali esse de jure dumtaxat humano, suadetur imprimis ex eo: quia talem exemptionem esse de jure divino, neque ex sacra Scriptura, neque ex traditione apostolica constat, quin potius inde oppositum desumitur. Nam Christus Dominus generaliter et indistincte docuit, atque præcepit *Matth.*, xxii, 21, dicens *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*. Imo quod plus est, hoc ipsum opere complevit *Matth.*, xvii, 26, ubi pro se, et Petro, jussit solvi

tributum, seu staterem in ore piscis reper- tum. Et quod initio nascentis Ecclesiae clerici fuerint subjecti principibus saecularibus, de- sumitur ex illo *Rom.*, XIII, 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Unde etiam Paulus apostolus ad Caesarem appel- lasse legitur, *Actor.* cap. xxv, 11.

195. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Confirmatur isthaec sententia ex diversis textibus juris canonici, ex quibus li- quet quod primitiva Ecclesia ex agris suis tributa solverit imperatoribus; sicque hoc ipso agnoverit, se non esse jure divino exem- ptam ab eorum potestate quoad res suas temporales, et causas civiles. Sic quippe in can. *Si tributum.* 11, q. 1, allegatur S. Am- brosius, dicens: « Si tributum petit impera- tor, non negamus: agri Ecclesiae solvunt tributum. » Et in can. *Tributum.* 23, q. 8, inquit Urbanus papa: « Tributum in ore pis- cis, piscante Petro inventum est; quia de exterioribus suis quae palam cunctis appa- rent, Ecclesia tributum solvit. » Et infra hujus rationem reddendo, subjungit idem sanctus Pontifex: « De exterioribus Ecclesiae quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri et defensare de- bent, imperatoribus persolvendum est. » Ubi Glossa, §. *De exterioribus*, aliam adhuc alle- gat rationem, dicens: « Quia cum honore ad eam pervenit. » Nam, res cum honore suo transit, c. *Cum non sit in homine*, 33, de *Decimis*.

196. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Probatur eadem sententia com- pluribus textibus utriusque juris, quibus exemptio clericorum attribuitur privilegiis. Sic quippe in cap. ult. *de Rebus. Eccles. non alien.* expresse dicitur, quod « Immunitatem ecclesiasticae libertatis non tantum sancti Patres, sed etiam principes saeculares, privi- legiis multis munierunt. » Et tale privilegium immunitatis per imperatores concessum Ec- clesiis, clericis et monachis, circa divina mi- nisteria occupatis, refertur in can. *In quali- bet*, et can. *Secundum canonicam*, 23, q. 8, et l. *Generaliter.* 40. C. *de Sacrosanct. Eccles.* cum similibus. Unde exemptio clericorum expresse vocatur privilegium, in Auth. *Cle- ricus quoque. C. de Episc. et cleric.*, ibi: « Ob- servatis clericorum privilegiis. » Et amplius in auth. *Statuimus.* C. eod. ubi dicitur: « Sta- tuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in

criminali quaestione, vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumat contra consti- tutiones imperiales, et canonicas sanctiones, cum concordantiis.

197. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Accedit ratio, quia, si exemptio clericorum foret de jure divino, non posset ea per summum Pontificem minui, aut res- tringi: sed consequens nequit dici, estque contra praxim Ecclesiae; uti liquet ex cap. un. *de Cleric. conjugat.* in 6, et concilio Trident. sess. 23, *de Reform.*, cap. vi, ubi talis res- trictio circa clericos conjugatos, et minoris- tas facta reperitur, atque istis est ademptum privilegium fori, nisi habeant conditiones ibi- dem requisitas. Tacentur clerici criminosi, qui pariter ex constitutione sacrorum cano- num perdunt privilegium fori, ut infra § 10, n. 254, et seqq. dicitur.

198. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Deinde, quod extensio privilegii fori ad monachos, aliosque regulares, et eo- rum novitios, ipsasque moniales, sit de solo jure humano ecclesiastico, vix negari posse videtur: nam dictum privilegium non com- petit, nisi illis, qui intrarunt religionem ab Ecclesia approbatam; talis autem approba- tio, sicut et solemnitas voti, ex sola consti- tutione Ecclesiae provenit, cap. un. *de Voto.* in 6; ergo.

199. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Tandem, quod immunitas localis ecclesiarum, sive jus asyli, sit de solo jure humano positivo, negari non potest, et pas- sim traditur a doctoribus, conformiter c. *In- ter alia, de Immunit. Eccles.*; ubi dicta im- munitas refunditur, atque explicatur « juxta sacrorum statuta canonum, et traditiones le- gum civilium: » ergo a simili idem dicen- dum videtur de exemptione, atque immuni- tate personali clericorum. Idque eo magis, quod etiam privilegium canonis (quidni ergo et privilegium fori) eisdem solo jure positivo humano, relato in can. *Si quis suadente dia- bolo*, 17, q. 4, competere dignoscatur.

200. *Et auctores, qui eam tenent, allegan- tur.* — Et hisce aliisque hujusmodi de cau- sis, multi doctores censent exemptionem clericorum a jurisdictione saeculari non esse de jure divino, sed humano dumtaxat; eo quod competat ipsis solum per privilegia et constitutiones tum canonicas, tum imperia-

les: quamvis ipsam jure naturali et divino esse valde consentaneam, ob rationes illico pro altera sententia afferendas, ultro fatean- tur. Et hujus sententiae est Covarruvias, *Pract. quaest.* cap. xxxi, concl. 2; Lessius, lib. II, *de Just. et jur.*, cap. xxxiii, dubit. 4.; Joannes Medina in codice, *de Restitut.* q. 15; Molina, trac. 1, *de Justit.* disp. 31, concl. 1 et 2; Castro Palao, tract. XII, seu *de Reli- gione*, punct. 1, n. 2 et 3; Farinacius, tom I, lib. I, tract. I, *de Inquisitionib.* quaest. 8, nu. 2, limitat. 1 et 2, pluresque alii a Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.* cap. xxxix, § 2, n. 1 pro hac sententia relati; licet plerique ipso- rum eam intelligendam dicant de rebus cle- ricorum temporalibus, et criminalibus, non autem de spiritualibus: nam quoad spiri- tualia exemptionem a jurisdictione saeculari esse inductam jure divino, gratis fatentur.

201. *Refertur, ac multipliciter probatur sen- tentia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Posterior econtra sententia, volens exemptionem cle- ricorum esse de jure divino, quin et naturali, probatur multipliciter. Et quidem primo ex consuetudine omnium gentium: nam quod ubique veluti religiosum observatur, non nisi ex jure naturali descendit: atqui sacerdotum et levitarum exemptio, apud omnes na- tiones, non omnino barbaras, vigeat; ergo Minor probatur inductione. Sic quippe ob- servabatur in veteri lege quoad levitas ju- daici populi; ut patet ex *Numer.* cap. III, 12, ubi de his illud quoque celeberrimum Deus pronuntiavit: *Eruntque levitae mei*, cum con- cordantiis. Idipsum sub Artaxerxe rege, li- cet gentili, quoad omnes sacerdotes, et mi- nistros domus Dei in Jerusalem reaedificandae, observare mandabatur, lib. I *Esdrae*, VII, 24. Item sub Pharaone, Aegypti rege, *Genes.* xxvii, 26, ac refertur in c. *Non minus.* 4. *de Immunit. Eccles.*, ubi idcirco graviter impro- peratur quibusdam christianis potestatibus saecularibus, « quod deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divinae noti- tiam non habebat. » Atque hoc ipsum circa gentilium sacerdotes olim observatum fuisse cognosci potest ex Aristotele, lib. II, *Oeconom.*, et Julio Caesare, lib. VI, *de Bello Gal- lico*, et Plutarcho in *Camillo*, et aliis.

202. *Refertur ac multipliciter probatur sen- tentia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Hoc ipsum Constantinus Magnus in prima generali sy-

nodo Nicæna agnovisse videtur, dum in ea, ante emanatum quodcumque aliud privile- gium super exemptione clericorum, ad quo- rumdam querelas coram se contra clericos depositas, exclamavit: « Vos a nemine diju- dicari potestis, quia solius Dei judicio reser- vaminus. Dii etenim vocati estis, et idcirco non potestis ab hominibus judicari. » Ita notanter refertur in can. *Futurum*, 12, q. 1, et can. *Continua* 11, q. 1.

203. *Refertur ac multipliciter probatur sen- tentia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Accedit Justi- nianus imperator, qui rationem exemptionis clericorum in jus naturale, ejusque dictamen refundit, in l. *Sancimus.* 18, C. *de Sacros. Eccles.* dicens: « Cur enim non faciemus discrimen inter res divinas et humanas? et quare non competens praerogativa caelesti favori conservetur? »

204. *Refertur ac multipliciter probatur sen- tentia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Idque merito quia, licet absolute non repugnet rationi, ut clericus, in rebus temporalibus subsit ju- risdictioni saeculari; id tamen repugnat in ordine ad officium clericorum rite adminis- trandum; turpissimum, quippe foret, si ma- gistratus episcopum corrigere et punire pos- set, a quo ipse corrigendus et puniendus est; et si hodie episcopus ad suum tribunal vocaret judicem laicum, cras autem laicus ille vocaret ad se episcopum. Sic enim peri- ret omnis reverentia per laicos episcopis ac sacerdotibus debita, si hos pro imperio coer- cere possent: et ordo ipse naturae perverte- retur, si pastores ovibus, parentes filiis, et spiritualia corporalibus subjicerentur. Bel- larminus, cit. lib. I, *de Clericis*, cap. xxx. Patet igitur, per rationes ex jure naturae de- promptas probari exemptionem clericorum a jurisdictione saeculari: jus autem naturae non humanum, sed divinum est, cum ab ipsius naturae auctore manaverit; ergo.

205. *Refertur, ac multipliciter probatur sen- tentia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Confirmatur eadem sententia ex sacra Scriptura. Sic quippe *Psalm.* civ, 15, dicitur: *Nolite tangere christos meos*; id est sacerdotes, qui christi, id est, uncti et consecrati sunt. Nec juvat di- cere, haec pertinet ad jus antiquae legis, quae per Christi mortem fuit evacuata et abroga- ta. Nam istud solum verificatur in praecipuis caeremonialibus et judicialibus: non autem

in moralibus, quales istud esse dignoscitur, cum spectet ad directionem honorum morum, ac præcavendum irreverentiam in clericos Domini committendam. Ut taceatur illud sancti Leonis papæ serm. 8, de *Passione Domini*, post med. (ac refertur in *Breviario Romano*, in festo *Exaltationis S. Crucis*), ubi inquit: «Nunc etenim et ordo clarior levitarum, et dignitas amplius seniorum, et sacratio est unctio sacerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum.» Hæc ille. Sed tacetur, cum videatur loqui de præcellentia celestium gratiarum, quæ in Novo Testamento ob merita Christi actu exhibita ampliores dantur, ac dabantur in Veteri Testamento ex meritis Christi dumtaxat prævisis.

206. *Refertur, ac multipliciter probatur sententia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Eadem sententiam probat textus ex Novo Testamento depromptus, et magis urgens ad propositum. Nam *Matth.* xvii, 24, Christus quærebat ex Petro: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel census, a filiis suis, an ab alienis?* Et illo jus naturale explicante ac respondente, *ab alienis*, subintulit Jesus: *Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me, et te.* En verba Domini, luculenter ostendentia exemptionem clericorum! Qui enim nomine *liberorum* magis censendi sunt, quam clerici, utpote specialiter in sortem domini electi? præsertim quia Petrus tunc totius ecclesiastici status vicem gerebat, teste divo Augustino, serm. 6, de *Verbis Apostoli*. Neque enim verba illa intelligi possunt de exemptione solius Christi, seu veri Filii Dei. Nam illico jussit Christus, ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staterem daret pro utroque: sicque uterque de jure exemptus dignoscatur: Christus quidem, utpote filius Regis regum: Petrus autem, veluti representans Ecclesiam Sponsam Christi, ecclesiasticasque personas tanquam domesticas ejus, ac proin eadem prærogativa cum ipso gaudentes; prout inferunt S. Hieronymus ibid. et S. Augustinus, lib. I, *Quæst. evangel.* q. 23.

207. *Refertur, ac multipliciter probatur sententia, asserens exemptionem clericorum esse de jure divino, quin et naturali.* — Eadem sententia confirmatur ac probatur diversis textibus juris canonici; quorum aliqui loquuntur de exemptione ipsorum clericorum a jurisdictione sæculari, seu de immunitate eo-

rum personali; alii vero de exemptione ecclesiarum rerumque ecclesiasticarum, seu de immunitate reali, atque aperte dicunt, utramque hujusmodi immunitatem esse de jure divino.

208. *Eadem sententia confirmatur per textus juris canonici, aperte dicentes exemptionem clericorum personalem esse de jure divino.* — Et quidem incipiendo a prioribus textibus juris canonici, aperte dicentibus exemptionem personalem clericorum esse juris divini; primus, et valde notabilis continetur in can. *Si imperator.*, dist. 96, ubi habetur: «Non a legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus christianæ religionis clericos et sacerdotes voluit ordinari et discuti,» hoc est judicari. Ubi ponderandum ly «Omnipotens Deus voluit.» Ponderandum insuper, quod verba illa, *ordinari, et discuti*, inter se æquiparentur: atqui in confesso est inter Catholicos, ordinationem clericorum et sacerdotum ad solos episcopos jure divino pertinere; idem ergo dicendum de eorumdem discussione. Unde Glossa singularis ibidem, §. *Et discuti*, concludit: «Ergo antequam esset aliqua constitutio, etiam clerici non erant de jurisdictione sæculari: unde omnes constitutiones, quæ emanaverunt, quod clerici non sunt judicandi nisi ab episcopis, non sunt nisi juris declaratio.» Hæc Glossa.

209. *Eadem sententia confirmatur per textus juris canonici, aperte dicentes exemptionem clericorum personalem esse de jure divino.* — Accedit can. *Sylvester*, 41, q. 1, ubi sanctus Gelasius Papa graviter reprehendit factum cujuscumque, clericos ad sæculare judicium pertrahentis, illis verbis: «Et contra leges divinas, et publicas, pulsatis clericis forum suum putavit auferri.» Notandum ly «contra leges divinas.» Item illud, quod pontifex ibidem proxime subjungit, mandans, ut in episcoporum judicio, quisquis ille est, qui clericum lacessit, adveniat: «Ut Ecclesiæ jura (inquit) que vetusti principes assidua sanctione firmaverunt, impetitis clericis non negentur.» Si enim vetusti principes assidua sanctione firmarunt jura Ecclesiæ, ipsumque privilegium clericorum; ergo istud non primum ab ipsis concessum, sed jam antea præhabitu fuit, ex jure videlicet naturali et divino. Nam quod non est, non potest firmari, can. *Præceptis*, dist. 12 et c. *Inter dilectos*, §. *Cum igitur; de Fide instrument.* Cum non entis nullæ sint qualitates, arg. c. *Ad*

dissolvendum. juncta Glossa §. *Legitime; de Desponsat. impub.*

210. *Eadem sententia confirmatur per textus juris canonici, aperte dicentes exemptionem clericorum personalem esse de jure divino.* — Confirmatur id ipsum ex can. *Relatum est*, 41, q. 1, ubi de accusantibus sacerdotes apud judicem civilem, in fine subjungitur: «Taliter prævaricantes prævaricati sunt in Deum suum, et non obediunt præceptis ejus:» et consequenter illud jure divino est prohibitum. His adde textus de immunitate ecclesiarum, rerumque ecclesiasticarum illico afferendos; utpote qui etiam de exemptione personarum ecclesiasticarum expressam faciunt mentionem, simulque in terminis dicunt eam esse juris divini. Itaque

211. *Sicut et exemptionem ecclesiarum, rerumque ecclesiasticarum, sive immunitatem realem.* — Pergendo nunc ad posteriores textus juris canonici, exemptionem ecclesiarum rerumque ecclesiasticarum, seu immunitatem realem esse juris divini, astruentes, probatur hoc imprimis ex can. 39. (alias 37). *Apostolorum*, et can. *Quisquis episcopus*, 12, q. 2, et concilio Trident., sess. 25, cap. 1, de *Reform.* cum similibus, ubi res Ecclesiæ, utpote Deo dedicatæ, dicuntur esse Dei, illis verbis: *Quæ Dei sunt*: ergo hoc ipso sunt exemptæ a jurisdictione mere laicali, et quidem jure divino, tanquam res Dei. Accedit textus expressus in c. *Quoniam de censib.* in 6, ibi: «Cum igitur ecclesiæ ecclesiasticæque personæ ac res ipsarum, non solum jure humano, quin et divino, a sæcularium personarum exactionibus sint immunes.» Concordat c. *Nimis*, 30, de *Jurejurand.*, ibi: «Nimis jure divino quidam laici usurpare nituntur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt.» Unde et novissime concilium Trident., sess. 25, cap. xx, de *Reform.*, expresse contestatur, «Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam.» Accedit c. *Non minus*, 4, de *Immunitat. Eccles.* ac paulo superius, n. 201, una cum nonnullis aliis huc attinentibus jam adductum.

212. *Nec sufficit, jus divinum in citatis textibus sumere improprie pro jure canonico.* — Nec sufficit, si dicatur jus divinum in allegatis sumi dumtaxat improprie, videlicet pro ipsomet jure canonico, quod in comparatione juris civilis, quod *humanum* dicitur,

appellatur *Jus divinum*; uti liquet ex cap. ii. de *Privileg.* in 6. et can. *Violatores*, 25, q. 1, et can. *Celebritatem. de Consec.* dist. 3. Nam contra est: quia hæc responsio potius est voluntaria, et contra mentem verborum in citatis canonibus contentorum extorta, ac subjectæ materiæ non conveniens; prout colligitur ac probatur ex eo; tum quia concilium Tridentinum loc. cit. satis aperte «Dei ordinationem» contra distinguit «a canonicis sanctionibus;» et alioquin hæc posterior particula superflueret; tum quia in allatis auctoritatibus multoties additur, quod hanc exemptionem voluerit «omnipotens Deus:» et, quod ipsam violans «agat contra leges divinas;» et prævaricetur «in Deum suum,» et non obediatur «præceptis ejus.» Tales enim loquendi formulæ sufficienter indicant, *jus divinum* in allegatis sacris canonibus accipi proprie, videlicet pro eo, quod immediate ac formaliter a Deo provenit, et non improprie tantum, seu pro mero jure humano canonico.

213. *Aut pro jure divino solum originaliter, ac initiative.* — Nec pariter sufficit responsio aliorum asserentium, quod immunitas ecclesiastica atque exemptio clericorum dicatur esse de jure divino, non immediate ac formaliter, sed solum originaliter atque initiative: quatenus legi naturali valde conformis est, atque a veteri lege divina *Num.* 1, 49, et iii, 51, et alibi, fuit adumbrata, indeque originem duxit: prout in simili c. *Parochianos*, 14, de *Decimis*, dicitur «quod decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sint institutæ.» Item c. *Tua*, 25, eod., quod decimæ divina constitutione debeantur; quas tamen, saltem quoad quotam spectatas, in lege evangelica solum deberi de jure ecclesiastico, passim tenent doctores post divum Thomam 2, 2, quæst. 87, n. 1. Nam contra est primo: quia decimæ quoad substantiam spectatæ, seu ut serviunt ad necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, proprie ac immediate sunt de jure naturali ac divino, juxta doctorem angelicum loc. cit., et communem aliorum; alio retorquendo argumentum, idem erit dicendum de immunitate ecclesiastica clericorumque exemptione quoad substantiam spectatæ; quamvis hæc postea multum subsit moderationi Ecclesiæ, quæ pro rerum exigentia justisque de causis, ipsam restringere ac limitare valet.

214. *Erubescimus sine textu loqui.* — Contra est secundo: quia dicta responsio, sive dis-